



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

LXXXIV. Optat cum Christo mori Magdalena.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

L X X X I V.

Optat cum CHRISTO *mori* MAGDALENA.

SICCINE? CHRISTE tuæ rupit mors
vincula vitæ,
Et mihi vita nouo stamine pensa trahit?
Magdalin ah! gelidus gelidi tu marmoris hospes
Deseris, & Solymis Magdalis errat agris?
Cur ego non tecum concordi iuncta sepulcro,
Hac in rupe pari nube sepulta regor?
Tristis Hymen nūc cerne, dolor præluit Amori.
Pro thalamo, hīc tumulum mortis adornat
Amor.

Si necis & vitæ par copula iungit amantes,
Et ligat æquus Amor, lex iubet æqua mori.
Quam discors series sic impare diuidit æuo,
Morte mihi grāuior vita superstes erit.
Ne viuam: ah! uiuo, cui pars perit optima vitæ,
Nōne mori totam est, viuere dimidio?
Imò neces mihi mille necis mora parturit. eheu!
Nolo dimidio viuere, nolo mori.

L X X X V.

CHRISTO *triumphante de morte* &
Orco, MAGDALENAE *mæror*.

TAENARVS abrupto rictum disclufit hiatu,
Demugitque cauo gens Erebea specu.
Quin etiam latè populi gemuere silentes,
Victor vt ad Stygias canduit vltor aquas.
Semi-